







Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
448 G 119

DISPUTATIO JURIDICA
DE
POLYGAMIA.

QUAM

Deo Auxiliante

SUB PRÆSIDIO

Clarissimi atque Consultissimi Viri,

D. PHILIPPO REINHARDO VITRIARIO,
U. J. D. Ejusdemque in Illustri Academia
Lugduno - Batava Professoris Ordinarii
Publicæ Ventilationi submittit.

BEATUS LUDOVICUS BERSET. Helv. Ber.

Diem Februaris loco horaque solitis.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typograph. MDCLXXXIV.

Amplissimo Consultissimo Spectatissimo Nobilissimo Viro,

D[N]. BEATO LUDOVICO BERSETH.

Inclytissimæ Florentissimæque Reipub. Bernensis Ædili Amplissimo Gravissimo, quotidiani & magni Senatus Assessori Meritissimo Consultissimo Patruo fautori ac Patrono äd äras usque colendo, honorando Amando.

Hanc ce Disputationem
Sacram facit,

B. L. BERSETH,

Autor.



DISPUTATIO JURIDICA

DE

POLYGAMIA.

THESIS I.

MAteriam ampliſſimam ac quæſtionem difficilimam ab infinitis præclaris Doctiſque Viris propugnatam & oppugnatam, aggredior: ſunt, in utramque partem & Antiquitas, & populi innummeri hiſce etiam in poſtremis ſeculis, qui inclinant. Hîc, habent, tùm Theologi, tùm J. C. quibus & Doctrinam & ingenii acumen oſtendant; de Polygamia acturus, rationes ex jure divino, naturæ, & gentium pate faciam, Divino favente Numine; Cur a veteribus admiſſa, & a Chriſtianis abrogata, oſtendam: Deliberatio admodum ardua! judicioque omnium tum Theologorum tum J. C. inextricabilibus nodis repleta; idcirco ſi aliorum exſpectationi rationibus firmiſſimis non ſatisfaciam, Excuſatum me, rogo, habeant in magnis voluiſſe Sateſt, mihi, ſi quid circa hæc Veri Chriſtiani (quibus Dei gloria ipſorumque ſalus cordi eſt ſentiant atque, agant, oſtendam, ſat: erit.

II.

Polygamia multifaria conſideratur quædam enim etiam inter Chriſtianorum Zelotiſſimos licita eſt, qua nempe Vir plures uxores ſucceſſive tantum, in matrimonium ducit, interveniente ſcil. morte uxoris, aut aliis graviſſimis diruptionis matrimonii cauſis: Altera autem illicita, qua nimirum plures uxores ſimul uni viro junguntur, aut cum plures viri unam uxorem ducunt, uxorique multos viros tanquam maritos ſibi devinctos in thorum ſuum recipit, quæ ultima polygamiæ ſpecies nefandiſſima eſt, ac ab omnibus ferè populis, ferociſſimis quibuſdam in America exceptis, abominationi eſt, quumque unico fere Conſenſu ab omnibus reprobata, rejecta, graviſſimisque pœnis punita ſit, ulterius non dicam.

De

III.

De illa ergo Polygamia, qua plures uxores uni viro non successive sed simul jungi possunt, verba faciam: Sponte omittens inanes ac leviusculas variorum populorum ac gentium rationes, eam non tantum licitam, sed & Deo gratam, imo ab eo jussam esse, asserentium, quales sunt Mahumedis Asseclæ: Majoris autem momenti videntur judæorum rationes, ac tot Sanctorum Virorum qui binas & plures uxores duxerunt, præclara exempla; etsi quidem expresso Dei jussu id non fecerint; Attamen cum Deus illos hac de causa nunquam arguerit, probabile videtur, Deum talia conjugia approbasse; Verisimile enim est quod si Polygamia tam iniqua foret, Deus aliàs severissimus eam etiam castigasset, siquidem peccata multà minora impunita nunquam dimisit: ad Polygamiæ antiquitatem probandam, ipsius propugnatores Lamechum jam Bigamum adducunt, qui primus est de quo S. script. loquatur, quamvis haud dubie alii ante ipsum fuerint.

IV.

Usus & conjugium binarum uxorum maxime inter Hebræos commune fuit, si Rabbinos eorum credere fas sit; sic enim dicit Rabbi Salomon Jarchi: *Ad hunc modum se habuit sub diluvii tempora, ut alteram haberent uxorem prolis gratia, alteram verò ad concubitum, ea autem quæ ad concubitum duntaxat ducebatur sterilitalis exhaurire solebat poculum, ut sterilis redderetur: Ornata etiam velut nova Nupta lautiores comedebat dapes, & juxta virum accumbere solita meretricio ornabatur habitu, atque hoc est quod intelligitur apud Iobum 24. vers 21: Pavit sterilem, sed Viduæ bene non fecit; acerbius enim & durius tractabatur ejus Socia & lugebat velut vidua:* ulterius progrediuntur, & statuere audent, quænam ex Lamechi uxoribus prolis gratia, quænam in concubitum adhibita, priorem Adam dictam, prolis gratia; alteram nomine Zellam aut Zillam in concubitum, ex Etimo nominum ludentes, Adam ita nuncupatam, quoniam secundum textum hebræum *invicem recedere solebant*, sive quod rara eorum erat consuetudo: Zillam autem quoniàm versari solebat *in umbra ejus.*

V.

Sed ista tanquam futilia prætereamus, ac quomodo Viri Sancti, ut Patriarchæ & alii, binas aut plures uxores habuerint, videamus: Abrahamo Illustrissimo Patris Credentium titulo sub novo Testamento nobilitato, fuit Uxor legitima eaque proxime sibi agnata sc. Sara; habuit & concubinam Agar suam ancillam

ex consensu Saræ, ev qua Ismael genuit; Sanè Validissimum hocce Exemplum Viri Deo dilecti, patris non solum credentium, verum etiam multarum Gentium, plusquam Bigamiam nim. Poligamiam ostendit esse licitam: Cui Exemplo etiam Jacobi duas uxores easque sorores ex eodem parente Laban natas, sibi adjungentis accedit; cui præterea res fuit cum ipsarum ancillis, quarum filii etiam in domo paterna hereditarium jus obtinuerunt; unde clarum est Ancillas seu Concubinas fere eodem gradu a Jacobo æstimatas fuisse, quo uxores ipsius legitimæ: David, Rex aliàs secundum cor Dei, plures duxit uxores, nec propterea a Deo fuit reprehensus, cum propter populi enumerationem gravissime fuerit castigatus: Salomon hominum Sapientissimus & fælicissimus 700 uxores, & 300 concubinas habuit, neque a Deo ipsum reprehensum fuisse legimus; Innumera sunt exiam exempla Virorum Sanctorum & præclarorum qui binis imo pluribus uxoribus juncti fuerunt, quod sane; si Deus ullo modo se polygamiam ab horrere demonstrasset, omisissent.

VI.

Quamvis (dicant Polygamiæ Patroni) eam speciali aliquo mandato, quod vim legis obtinet a Deo ordinatam non legamus, tamen est concessa; tot enim sunt præcepta, tum mores, tum cultum divinum tum regimen spectantia, sed ne in uno quidem prohibitionis pluralitatis uxorum mentio fit; quomodo fieri igitur potest, quod Deus qui tot minutissimas res aut vetat aut jubet nihil dicat de polygamia, quæ tamen a pluribus Ethnicis & omnibus Christianis, ut nefandissimum crimen conspicitur: Unicus Extat Locus Deut. 17. v. 17. ubi Deus de Rege quem habituri essent Israëlitæ, verba faciens, dicit, *Non Assumet sibi plures Uxores, ne corsuum avertat*: sed hic locus tantum Regem, non alios spectat; imo non uxorum pluralitas, absolute; verum nimis magnus & excessivus numerus uxorum aut concubinarum prohibetur; hic Rabbini dicunt, quod Octodecim tantum sive uxores sive concubinæ regi fuerint concessæ, plures vero isto numero denegatæ.

VII.

Nemo negare potest, consuetu dinis & praxeos apud judæos fuisse: plures uxores simul ducere, istamque consuetudinem quam à Deo conceptis & expressis verbis nunquam vetitam legimus, tolleratam fuisse, nullum dubium est; ad quam abrogandam necessario sub N. T.

 re-

requirebatur mandatum, præsertim quum jam per aliquot secula invaluerit, & ab omnibus Hebræis practicata fuerit: At in N. T. nullus extat locus dicunt, quo consuetudo illa Hæbræorum deffendatur, Christus cap. 5. Mat. multa quæ lege ceremoniali concessa videbantur, prohibens, ne verbo quidem consuetudinem illam tangit, prohibet quidem concupiscentiam v. 28. injusta interdicit divortia, v. 32. verum hæc nihil ad polygamiam. Nihilque circa hanc rem præceperunt Apostoli, sanctimoniam alias & castitatem tam ardue commendantes, imò nullum decretum nullaque sanctio hac de re a Synodo Hierosolymitana edita fuit, cui tamen plures Apostoli interfuerunt, quod tamen necessario requirebatur, cum diversa sint statuta judæorum & Christianorum.

VIII.

Quibus rationibus addant, Polygamiam plurimis in regionibus Orientis, Austri, & Occidentis receptam esse, eam enim admittere ajunt, Turcas, Tartaros, Persas, Mogolenses, Sinenses, Arabes, Abyssinos, Mauritanos, Ægyptios, Mexicanos, Peruvianos, Brasilienses, innumerosque alios populos: Unde, Consensus tot Gentium, inter quas viri non minus religiosi & sagaces inveniuntur, quam in Europa; opinioni paucorum Christianorum præferendus videtur, in re ad fidem non spectante, sed vitæ commodo tantùm inserviente. Præterea opponunt, quod Monogamus magis ab uxore possideatur ejusque fiat servus, & quod è contra Polygamus omnium evadat Dominus, & ab iis impediri nequeat, quominus generositatem illam in viro strenuo requisitam servet, & ad omnia magni momenti negotia pertractanda aptus sit; Hæ potissimæ eorum sunt rationes, quas compendiose attuli, Videamus nunc, quid vero Christiano circa hæc sentiendum sit.

IX.

Quæstio est, an Polygamia sit licita nec ne, ad cujus revolutionem, nobis revocanda est, prima conjugii institutio, & origo, ad cujus normam etiam cætera instituenda sunt: Christus adversus phariseos disputans eos matrimonio Adæ & Evæ Gen. 2. recensito confundit, ibi enim habetur; *Dixerat enim Deus non bonum est hominem solum esse faciamus ei adjutorium, v. 18. Deinde profundissimum soporem super Adamam misit, ex quo dum dormiret, costam extraxit, conditque Deus ex illa mulierem, & eam Adæ obtulit: Unde dixit Adam hac est caro carnis mea & os ossium meorum, propterea vocabitur*

bitur virago, nam ex viro desumpta est: Ideoque Vir patrem & matrem deseret, uxorique adhærebit & erunt tantum una caro: v. 21. 22. 23. 24. que verba referuntur, Math. 19. v. 5. Marc. 10. v. 7. 2 Cor. 6. v. 16. Eph. 5. v. 31.

X.

Deus Adamo unicam uxorem, eamque ex costa extractam dedit, non obstantibus duabus rationibus, quæ Deum ad plures ei uxores adjungendas impellere debuissent, quarum 1. est quod plurium uxorum propagatione terra, quæ incolis orba & ad habitationem hominum creata citius habitantibus repleta fuisset; 2. est quod si Deus plures Adamo uxores adjunxisset, filii ejus proprias sorores in matrimoinium ducere coacti non fuissent; sed, placuit Deo, omnem hominibus ansam ad plures nuptias convolandi hoc instituto arripere; in quo admiranda est summa Dei Sapientia; sciebat enim vinculum matrimonii esse amorem, qui inter unum & plures verus inveniri non potest: impossibile enim est virum plures uxores æquali amore posse prosequi; ipsius enim amor varias in partes hoc casu distrahitur, itaque nec verus nec sincerus dici potest; nam si unam præ aliis diligat, peccat in legem naturæ, illi præcipienti, ut uxorem sicut partem sui amet: nulla, Multarum, ut decet virum amare potest; quia illum non ut proprium sedcum aliis communem aspicere poterit; ubi enim abest amoris reciprocatio, ibi nullus est verus amor; at ubi hic abest, ibi quoque deerit matrimonii exellentia, quæ in æquilibrio amoris conjugalis, consistit, aliàs conjugium perfectionem suam amittit; quæ hæc est, ut dua fiant una caro, id est, ut una tantum sit eorum voluntas & amor, requiritur enim, ut uxor æque potestatem habeat in corpus mariti, ac maritus in corpus uxoris, secundum Apostolum Paulum 1 Cor. 7: cui resistit dominium illud mariti in uxorem tanquam servam quo subsistente, nec una caro erunt, nec conjugium perfectum erit nec interveniri poterit verus & sincerus amor, sed è contra marito pro lubitu novos concubitus appetere licitum erit.

XI.

Neque solum S. Scr. verum etiam ratio nos docet, primum illud exemplum, quo Deus unico viro unicam uxorem ex ossibus ejus desumptam ad junxit; omnes posteros legis instar ad monogamiam astringere debere, quæcunque enim Deus Sapientissimus

 crea-

creator fecit valde erant bona : ipsimet Ethnici veræ institutionis matrimonii historiæ nescii, solo rationis ductu ac instinctu moti, polygamiam brutis magis quam hominibus dignam judicarunt, Euripides in Trag. Androm. Hermionem dicentem introducit.

οὐδὲ γὰρ καλὸν
Δυοῖν γυναικοῖν ἄνδρ' ἕν' ἡνίας ἔχειν
'Αλλ' εἰς μίαν βλέποντες εὐναίαν κύπριν
Στέργουσιν, ὅστις μὴ κακῶς οἰκεῖν θέλει

Id est

Non Etenim decet
Unum imperare fœminis geminis virum :
Contentus uno conjugis vivat thoro,
Quicunque cupiet rite curatam domum

Et in Choro

Nunquam gemina de matre genus,
Nunquam duplices laudabo toros.
Odii & diræ semina rixæ :
Unam debet non ambigui
Vir participem nosse cubilis
Duo ne Domini rectius urbes,
Terrasque regunt, quam quæ sceptrum,
Tenet una manus quin sic oneri,
Onus accedit, discors agitat
Rabies rupto fœdere cives,
Etiam artifices carminis inter,
Geminos ipsæ tristia miscent
Prælia Musæ . cumque in pelago
Vela carinæ fert aura leves.
Plus una valet, contempta licet,
Dextera clavi quæ fræna tenet,
Quam consilii vis in partes,
Distracta duas, aut prudentum,
Numerosa cohors una potestas,
Temperet urbem, regat una domum,
Si modo cordi est, tranquilla quies,

Plautus Mercatore

Nam uxor contenta est, quæbona est, uno viro,
Qui minus vir una uxore contentus siet ?

 Posse-

Possemus & alias Antiquorum Etnicorum authoritates afferre, sed ista pauca sufficiant, ad Odii, quo Polygamiam prosecuti sunt, demonstrationem.

XII.

Mirum sane! Etnicos turpissimis voluptatibus totaliter fere addictos, ut Paulus Rom. 1. dicit, sic posse loqui, quibus si ratio, aut simplex naturæ ductus Polygamiam non solum turpem & indecoram verum etiam damnosam & criminalem esse persuasit; quantò magis eam abhorrere debent Christiani, non tantum rationis usu pollentes, Verum etiam præceptis Evangelicis ad id adstricti, sub N. enim T. conjugium in pristinum suum statum sanctitatem sc. & puritatem, quo a Deo institutum fuit, restitutum est; quæ Polygamiæ sane non insunt, prior enim ducta, vera est uxor, reliquæ instar Concubinarum sunt, cum quibus mariti concubitus aliquid rationi & dignitati hominis alienum habet.

XIII.

Verum, quamvis Christus & Apostoli nullam expressam in N.T. Polygamiæ fecerint mentionem, Christus tamen levia divortia damnans, rationibus indubitabilibus illam illicitam ostendit, qui enim minus prohibet, prohibet & majus, atqui leve divortium insequensque matrimonium contractum priore uxoro dimissa minus est crimen, quam plures uxores simul ducere earumque frui amplexibus; ergo, sequitur, Christum divortia nisi gravissimas propter causas prohibendo etiam Polygamiam interdixisse, cui si locus esset, merito publicum ac tolleratum adulterium dici posset: Sed inspiciamus textum Salvatoris nostri, Math. 19. v. 3--9. ubi Christus Pharisæis ad materiam de repudio respondendo, quædam ad utramque quæstionem spectantia, divortii nempe & Polygamiæ affert, dum ex prima conjugii institutione ostendit 1. institutum fuisse conjugium a Deo ipso. 2. Institutum fuisse in statu innocentiæ. 3. Institutum fuisse tantum inter unum & unam, ut sic pluralitas sequentibus conjugiis abscinderetur. 4. Normam conjugiorum instituendorum ibi haberi, cujus appositam legem videmus Gen. 2. Math. 12. *idcirco derelinquet Vir patrem & matrem & adhærebit uxori suæ.* 5. Formulam strictæ conjunctionis, *& erunt caro una*, in quo vinculo ratio formalis conjugii consistit. 6. cum ante Mosem divortia locum non habuerint, sed tantum propter sævitiam virorum introducta sint, dicitur, *in principio non ita fuit*: Deus enim

enim unum cum una tantum conjunxit: tandem sic ratiocinari possumus, si propriam uxorem aut dimittens aut dimissam ducens adulterii reus declaratur, quantò magis secundum connubium priori subsistente erit illicitum.

XIV.

Certè Polygamia nihil aliud est, quam sancti & veri conjugii destructio, & potius concubinatus approbatus, quam conjugium: nam quid validius? quid ista ratione clarius? *homo derelinquet patrem & matrem & adglutinabitur uxori & erunt illi duo una caro*, quod non fit conjunctione carnali, sed vinculo amoris mentes jungentis, cum duo etiam locis longe a se invicem distantibus, una caro esse possint; hoc enim vinculum adeò strictum est, ut secundum Apostolum 2 Cor. 7 *uxor proprium corpus in potestate non habeat sed Vir similiter nec Vir habeat potestatem in proprium corpus sed uxor*: at hæc consistere non possunt, cum uxor viri sui junctionem cum aliis mulieribus impedire nequeat.

XV.

Non juvat Polygamiæ fautores, antiqua illa de qua multum gloriantur, a tot sanctis Viris & populo Israëlitico practicata consuetudo; nam quædam in uno statu a Deo permittuntur, quæ in alio maximo rigore puitur; deinde status Israëliticus hoc in principio requirebant, sed ostendant Israëlitis jus Polygamiæ expressis verbis mandatum aut per missum fuisse? itidem afferunt, quod Polygamia in sanctis illis viris nunquam punita, verum Davidi beneficio imputata fuerit: Verum videamus. Noah una uxore cum filiis contentus a diluvio propter lasciviam hominum in terram dimisso servatus fuit. Nonne Abraham multas molestias & anxietates, propter jurgia Agaris servæ cum Domina sua Sara perpessus est, Nonne Ismaëlis posteritas Israëlitis implacabilis semper fuit, ut & Midianitæ ex Ketura ortæ: quid diuturna Rachelis uxoris Jacobi sterilitas & denique mors ejus in puerperio? Davidi beneficio apparenter tantùm imputata fuit, sed quæso; ubi nam videmus utilitatem reportatam? nonne Absolon proprius ejus filius patri Charissimus thorum jugalem paternum fœdavit, uxores & concubinas stupravit? omissis litibus ac jurgiis, inter varios ejus filios propter successionem ortis, omisso itidem homicidio Ammonis? Nonne Deus Salomonem propter inauditam libidinem sensibus & voluptatibus suis dereliquit, adeo ut in persona ejus mortalium

lium admiratio facta sit mortalium contemplus · Nonne Polygamia diruptionis regni Israëlitici causa fuit ? Nam cum Salomon genua sua coram idolis uxorum flexisset, Deus statim diruptionem regni ei annunciat. Nullus sane negabit ? hæc, non tot pœnas Viris alias clarissimis propter Polygamiam inflictas fuisse.

XVI.

Mirum non est plures Orientales, Meridionales, & Occidentales populos Polygamiam admittere, cum eorum ignorantia, proclivitas & temperamentum fervidum illos eo trahant; aut etiam fortasse ratio aliqua politica: Videmus tamen, multas & olim fuisse nationes interquas Polygamia prohibita fuit, Tacitus *Germanos suo tempore singulis uxoribus contentos fuisse* memorat: Cecrops Atheniensium Rex pluritatem uxorum abstulit: Hodieque plurimæ adhuc sunt gentes Barbaræ, apud quas Polygamia maximis pœnis afficitur: Admiratione sane dignum ! tot Christianos per Asiam Americam & Europam dispersos, fidei articulis discrepantes, ut & in moribus ritibusque suis, in hoc convenire, ut unanimo consensu uxorum pluralitatem im probent.

XVII.

Hisce omnibus perspectis, luce meridiana clarius est, Polygamiam nullo jure licitam sed S S. Scr. jurique naturæ & Gentium contrariam esse; Videmus enim Polygamiam plus ad destructionem quam ad propagationem generis humani intendere, cum impossibile sit 1. plures uxores æquali amore prosequi. 2. Cum maxime lites jurgiaque exinde oriantur. 3. cum Vir plurium uxorum libidini satisfacere nequeat. 4. cum unusquisque pater familias plurium liberorum educationi sufficienter providere nequeat; 5. cum maximo gradu dignitati Viri & uxoris adversetur. 6. cum paci quietive publicæ Status adversa sit.

XVIII.

Concludo itaque, Polygamiam vero Christiano penitus esse inconvenientem, & ut è Republica Christiana ejiciatur; dignam; & quod Polygamus tanquam adulter sit habendus, secundum Salvatoris dictum; nos autem oremus Deum ut suo spiritu nos ostentet, ne in laqueos diaboli incidamus sed totum vitæ nostræ cursum in sanctificatione & glorificatione S. Sancti nominis sui per curramus.

COROLLARIA.

I.

An Principi Christiano successori destituto Polygamia sit permissa. Neg.

II.

An Polygamia homini pluribus cum mulieribus è naufragio in insulam desertam evaso salva conscientia licita sit. Neg.

FINIS.